



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

II. Conuersandum cum omnibus; sed diuerso modo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

N V M : II.

*Conuersabere cum omnibus quidem, sed
diuerso modo.*

NEgligendus tibi è tuis nemo, multò minùs quispiam contem-
nendus : omnibus aliquid debes ;
nobilibus, & plebeijs : eruditis, & ru-
dibus : diuitibus, & egenis : sanis, &
infirmis : pueris, & adultis : senibus,
omni ætati, vtrique sexui ; neque pro-
bis tantùm, sed etiam improbis. Habes
præclara exempla : **D E V S** respuit ne-
minem. **Christus** in omnium salu-
tem incubuit. **Paulus** fiebat omnia
omnibus ; etiam ad scenofactoriæ artis
pellionem diuertebat : neque **Petrus**
magnus ille Pastor hospitari apud **Si-
monem Coriarium** dedignabatur. Sed
neque tamen cum omnibus semper,
neque cum singulis eodem modo tra-
ctandum : quando autem, & quomodo,
à prudentiâ rerum agendarum ma-
gistrâ exquirendum. Cum Nobili-
bus

bus nolim te esse rusticum, nolim aulicum: ita age, vt adolescentiam tuam, nemo contemnat; ita viue, vt dignitati tuæ labem non inferas; neque tamen ita studiosè tuæ authoritatis sis retinens, vt Domino loci virisque primariis nihil vnquam concedas; memor sis dicti Apostoli: *Honorem, cui honorem.* Boni tui, & Ecclesiæ plurimum sanè refert, vt illos, qui in eo loco dominantur, tibi habeas adiunctos. Itaque canebis, ne temerè impetas, aut laceffas; rixas, aut lites excites. Quòd si contra authoritatem, vel immunitatem Ecclesiasticam aliquid attentent, aut moliantur; rationem allatis causis experire: si nihil proficis, præmissa protestatione, quòd non ducaris, nisi studio diuini honoris, rem controuersam deferas ad Episcopi tribunal; neq; interim re vllâ, ac ne verbo quidem, læde; imò conare officiis demereri. Iam verò plebeios, rudes, egenos, aliòsue miserioris

ris

ris fortunæ, aut vitæ etiam improbia-
 ris, sic tracta, prout cuiusque ratio, &
 utilitas postulabit. Nullus tibi debet
 videri vilis, qui diuini sanguinis præ-
 tio constitit. Pastor sis totius gregis,
 etiam Agnelli, etiam Ouiculæ infir-
 mæ, scabiosæ, errantes quoque ad te
 pertinent. Pastor ille Euangelicus,
 relictis nonaginta nouem, perditam
 vnâ requirebat: & medici nusquam
 magis conuersantur, quàm cum agris.
 Christus, idem supremus Pastor, & Me-
 dicus, venerat pro ouibus, quæ perie-
 rant, & cum peccatoribus non con-
 uersabatur modò, sed & familiariter
 conuiebat: à quibus ipsi quidem, qui
 nulli periculo suberat, minùs erat ca-
 uendum; at hîc tibi maior adhibenda
 cautela, ne dum ouem errantem re-
 quiris, lupo te voret, aut lupo eua-
 das. Periti medici, vbi regnant morbi
 contagiosi, antidotis, & præcautio-
 nibus student, ne luem ab aliis con-
 trahant; quo in genere nihil magis

cauen-

cauendum, quàm à foeminis : quâ de
re postea.

NVM: III.

*Mansuetudinem præcipuè in Conuersan-
do sectare.*

HÆC virtus, quam maximè à na-
turâ nostrâ insitam habemus, pro-
priè humanitas appellatur : eam qui
exhibet, homo dicitur ; qui non
habet, ferus. Nulli autem magis
necessaria illa est, quàm iis, qui regunt ;
quomodo enim reget alios, qui se priùs
regere non didicerit ? Est autem man-
suetudinis hoc munus : animi fero-
ciam cohibere, verborum acrimoniam
detergere, corporis motus effrænes
componere : quod ubi effecerit, to-
tisque homini imperârit, iam regi-
na est cordium illorum, quibuscum
conuersaris, & Suada animorum quid-
uis ab illis, aut impetrabit, aut impe-
rabit. Eam virtutem David Rex *spiri-
tum principalem* appellat, quòd ma-
ximè